



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCLXXXIII. De Secunda destructione Onkaym, & vastatione territorii  
ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. CCLXXXII.

De

*Vastatione territorii Pograude  
& Garthe.*

Anno eodem tempore hyemali frater Eberhardus de Wircnemburg, Commendator de Kunnigsberg, cum duobus millibus equitum versus Lethovviam est profectus. Sed hoc non est sub silentio prætereundum, quod frater Conradus de Lichtenhagen Commendator de Brandenburg, cum exercitu magno præcesserat ipsum, eundo versus castrum Garthe, territorium quod vastavit incendio & rapina licet autem non multum proficeret ibi, cum equites terræ Lethoviæ ad dictum territorium convenerunt: Tertio autem die post hæc idem frater Eberhardus cum suo exercitu sicut præordinatum fuit à Magistro, improvisè intravit territorium Lethoviæ dictum Pograuden & majorem partem ejus destruxit per incendium & rapinam. Sed vexillum fratrum cum sibi adjuncti petit à mane usque ad meridiem in monte ex opposito Castri Jedemine ubi dictus Comes de Homberg & plures alii Nobiles dignitatem militiæ susceperunt. Hoc facto dum fratrum exercitus recederet, positis insidiis, quibus XX. Lethovvini, qui secuti fuerant, sunt occisi. In hoc bello præter incendium interfecti fuerunt mille infideles & capti.

## CAP. CCLXXXIII.

De

*Secunda destructione Onkaym, & vastatione territorii ejus.*

Eodem

*Sigefridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus Sack XVI. Magister Prov. in Prussia.*

**E**odem anno in Quadragesima idem frater Eberhardus Comendator de Kunnigsberg cum majori exercitu quam prius ivit versus Castrum Onkaym, quod quidam Castrensis dictus Svvirtil fidei & fidelium amicus tradidit fratribus, qui intrantes omne quod fuit sexus masculini interfecerunt, mulieres & parvulos captos deduxerunt, castrum funditus iterum destruentes. Ipse autem Svvirtil & tota familia sequentes fratres Baptisti gratiam perceperunt. Reliqua pars exercitus intravit territorium dicti Castri, & captis multis hominibus & occisis, rapuit quicquid in eo reperit & incendit. In hoc exercitu XXX. Christiani gladio ceciderunt, & frater Henricus de Wolphesdorff infra indagines cecidit, & totus exercitus transivit eum. Adeo arta fuit via, quod nullus poterat vitare, nisi transiret eam. Clypeus, quem super se posuit, dum se erigere non posset, contritus fuit in minuta frustra. Tandem, DEO juvante, post transitum eorum surrexit, & dum non haberet equum, vidit à longe famulum sedentem in equo, & ducentem alium equum nigri coloris in manu sua, quem cum precibus aggrediretur, ut ei unum equum accommodaret. Ille indignatus cursitans super eum dejecit ad terram iterum & iterum percalcavit. Inter hæc frater Henricus frenum dicti Magistri equi rapuit, & obtinuit, & ascendens declinavit ad exercitum fratrum, transiensque X. vicibus, quærens cujus esset equus iste niger, neminem invenit, qui eum cognosceret, & demisso equo, sicut primo perdidit famulum, ita & equum. Evanuerunt enim ambo, quod nunquam potuit aliquis percipere quo devenissent.

Yy 3

CAP.